



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-764619-p0001-2

DFG



*P. H. 21*  
26  
MEDITATIONES MORALES *Pri. 12. num. 38.*  
DE 1770

# CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA DAMNA INDE METVENDA INVALIDIS.

FAVENTE SVMMO NVMINE  
AVCTORITATE  
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

*P. 203*  
DOMINI  
CHRISTIANI FRIDERICI  
CAROLI ALEXANDRI

MARGGRAVII BRANDENBURGICI BORVSSIAE SILESIAEQVE  
DVCIS REL. BVRGGRAVII NORIMBERGENSIS VTRIVSQVE

PRINCIPATVS REL. REL.

IN ALMA FRIDERICO-ALEXANDRINA  
PVBLICO PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI VENTILANDAS

SVMMITTIT

PRAE SIDE

M. CHRISTIANO MASIO 1770, 2

PROF. PHIL. ET HIST. BRANDENB. EXTR.

AVCTOR ET RESPONDENS


IOANNES CAROLVS ALBERTVS FVRCKEL  
UITTINGA-FRANCVS

PHIL. ET SS. LL. C.

D. MART. MDCCCLXX.

ERLANGAE  
LITTERIS WALtherianis.







DE

## CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA DAMNA INDE METVENDA

INVALIDIS.

**I**n diiudicanda soluendaque quaestione: *vtrum conventiones ob certa veraque inde metuenda danna invalidis annumerandae sint, eoque ipso a laetionem metuente, inuita etiam altera parte, solui queant?* ad finem, cur pacta ineantur, primo respiciendum est, arbitramur. Finis omnium actionum humanarum, quod homines ipsos, est, et ex intentione diuina esse debet, *felicitas*. Pacta actionibus nostris annumeranda esse, dubio omni caret. Pacta igitur ob nullum alium finem, quam ob hominum felicitatem in praesenti rerum constitutione ineantur, aut saltim ineunda sunt. Pacta, quac huic fini respondent, hoc est, quac

A

quac

## II DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

quae felicitati promouendae vere inseruiunt, omnino seruanda sunt. Quoties autem contrahentium spes fallitur, quoties per pactorum initiorum adimplectionem eorum pariter ac aliorum salus turbatur magis, quam promouetur, quoties denique damnum certum et verum inde metuitur aut vere oritur; pacta haudquaquam seruanda, sed potius, quia cum fine pugnant, dissoluenda sunt. Idem enim foret, si fides data hoc non obstante seruanda esset, ac si pacificentes data opera studioque media finibus repugnantia eligere, mandata diuina temerario ausu infringere, scientes volentesque infelices se aut alios reddere, tenerentur.

### §. II.

Quod hoc modo pactorum finis iubet, idem quoque secundo loco praecepta illa diuina in vulgus nota: *conserua te et alios, reminem laede, et suum cuique tribue: expresse nobis iniungunt*, hoc est, quamdiu per pacta inita nos aliosque conseruamus, nos et alios non laedimus, et suum nobis aliquis tribuimus, illaesa seruanda sunt: quamprimum autem contrarium metuendum est; merito solvuntur, sive ceterum pacifcentium vtrique, sive alterutri modo periculum inde immineat. Vbi in posteriori casu idem est, vtrum promittens, an acceptans, sive si manus, debitor aut creditor, laesioinem metuat. Nam laedendi iisdem fruuntur iuribus. Nec intereat, vtrum conventionum dissolutio vtriusque contrahentium consensu, an alterutro disfentiente, fiat. Prior modus sanae rationi magis omnino conuenit, et si homines hanc audirent, illo quoque, quoties periculum ex pacto alterutri verendum, vterentur: interim tamen hoc non impedit, quo minus laedendus patet sibi damnosum altero etiam inuito soluat.

### §. III.

At quam vera haec etiam fuerint, questioni propositae decidendas tamen ea sufficere, dubitari potest. Alteri

teri enim, cui fides non seruatur eadem iura ad sui defensionem in auxilium vocare licet, quae ad factum suum tuerendum foodifragus allegant. Eodem, ac hic, pactus est consilio, ut nimirum felicitatem suam promoveat, seque et melius conseruet. Aequo minus, ac alter, paciscedendo se laedere intendit, sed ut suum sibi eadem, qua alteri, tribuatur ratione. Quum et sibi metipse proximus est, eodem iure ac aduersarius, ad conservacionis et proximitatis sue prioritatis leges prouocat. Nec alterum detrimento suo locupletiorem reddere tenetur. Accedit, alteri ne ius quidem competere, malum perpetrandi, ut boni quid inde eliciatur. Non negamus, ut nihil dissimulemus, quemlibet paciscentium in casu ordinario iisdem frui iuribus. Quam ob rem neutri illorum quoque ius, illa pro se et in sui fauorem allegandi, denegandum est. At quam primum collatio officiorum oritur, status controveneriae maxime mutatur.

## §. IV.

Hinc iam quaeritur: cuinam paciscentium illa iura ad sui defensionem cum prerogativa quadam, praeter altero allegare et cuinam se alteri praeferre in eiusmodi casu liceat? Ipse dissertationis nostrae scopus quaestioni expoundendae inferuit viamque illam soluendi pandit. Supponimus scilicet paciscentes, qui exoptatam salutem simul promouere nequeunt, sed quorum alterutri ex conuentione inita damni quid metuendum, ob quod a promissi praeestatione liberari optat. Supponimus damnum certum et verum alterutri imminere. Supponimus denique, alteri paciscentium aut plane nullum, aut minus saltum, periculum ex pacti reuocatione verendum esse. Quas circumstantias qui rite perpendit, haud aegre intelliget, cuinam paciscentium ius competit, ad dicta iura in sui fauorem data occasione prouocandi. Nos quidem affirmare nulli dubitamus, contrahentium illum, qui verum certumque damnum metuit, praeferendum esse ei,

IV DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

ci, qui aut plane nullam aut exiguum modo laesionem, ex conuentionis dissolutione sentit. Ille, non hic, legem conseruationis et proximitatis, in auxilium vocandi iure gaudet. Illi, non huic, praecpta illa: *neminem laede, fauum cuncte tribue*: in suum fauorem explicandi, ius competit. Ille, qui de damno vitando, pugnat, maiori fruitur fauore, quam qui lucrum captat. Et hoc iure! Hic enim de felicitate quoad bene esse ille autem de felicitate quoad esse promouenda sollicitus est. Hinc nec huic exigere licet, ut damnum metuens aduersarium cum damno suo reddat locupletiorem. Hic quidem, dum lucrum optatum perdit, salutem suam, ut sperauit, aequo minus, ac alter, promouet: At cogitandum ipsi est, alterum si fidem seruaret, felicitatem suam non modo non promouere, sed adeo damnum inde sentire. Quum autem quilibet ad certum verumque damnum vitandum et quoconque modo a se amouendum obligatus est: lucrum perdens aut minus damnum saltim verens, frustra optat, ut alter pactum sibi vere noxiun seruans se vnicet ideo, quia pactus est, in alterius gratiam laedat ac vere infelicem reddat.

S. V.

Quod periculum metuens in casu proposito ad fidem seruandam obligatus non sit, eamque ob rem pactum etiam altera parte inuita soluere queat, ex sequentibus clarius adhuc patebit. Versatur enim in officiorum collisione. Hinc quia haec non patitur, ut vtriusque salus simul obtineatur, primo se fibimetipſi proximum iure meritoque iudicat et suam felicitatem alterius saluti praferens primario promouet. Licit enim ad alios conseruandos obligatus sit; hoc tamen tum demum locum habet, quando huius officii obseruatio cum semetipſum seruandi officio non pugnat. Primario nos, deinde et alios, conseruare tenemure. Clare hoc docet tritum illud: *conserua te et alios*. Deinde nulla nobis aliorum felicitatem etiam cum damno nostro promouen-

DAMNA INDE METVENDA INVALIDIS. V

nendi iniuncta est obligatio. Hinc nec alteri nobiscum pacienti eiusmodi quid exigendi ius competit. Alii quoque sunt amandi: at maiorem ipsis, quam nobis, neutiquam debemus amorem. Aequalem, quoties collisio non obstat, postulare possunt. Orta officiorum collisione quilibet, praesertim periculum verens, se aliis praferendi iure gaudet. Quilibet, ut ad perfectiones acquirendas atque ad acquistas conseruandas, ita e contrario ad omnem imperfectionem sive laetionem vitandam, primario obligatus est. Nemo igitur, ut aliorum statum cum detimento suo perfectiore reddat, adigi poterit. Amorem proximi vero non nobis erga alios solis, sed aliis quoque erga nos, scriptum esse, quis ignorat? Nec ius ex pacto nobiscum initio ab aliis acquisitum tanti ponderis est, ut ad fidem cum damno nostro seruandam obligaremur, quia, ut iam monitum, obligationes et iura nostra ex conferuationis legge nobis competentia priora sunt atque antiquiora aliorum iuribus ex pacto quaestis? Illa enim in ipsa nativitate sunt fundata, quamobrem connata etiam a quibusdam vocantur, eoque tendunt, ut nostram vitam non tantum tueamur, sed nos conseruando felicitatem nostram simul promoueamus. Nostrae e contrario obligationes, aliorumque iura, ex pactis oriunda posteriora et nouiora illis sunt, nec ut illa immediate, sed mediantibus actionibus nostris demum, nobis iniuncta. Maiori igitur illa his gaudent praerogativa.

§. VI.

Quum itaque ad nos aliis praferendos obligati simus, idque potissimum, quoties damnum nobis imminens hanc ratione evitatur: aegre ferre nobiscum pacientes nequeunt, si pacta ad damnum, quod inde metuitur, vitandum non seruamus, sed illis etiam iniitis reuocamus, nec cum detimento nostro eorum salutem promoueamus. Iure nostro utimur, et neminem laedit, qui suo, quod per praerogatiuam sibi competit, vtitur iure. Et quoniam hoc in-

VI DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

re vtentes obligationibus nostris simul satisfacimus, multo minus alii de laesione conqueri possunt. Allegare quidem possent, quod ideo a nobis paecta non seruantibus vere laedantur, quia vsu iurium suorum priuantur; qui alterum autem iuribus suis priuat, sine dubio illum laedit. Id quod licet facile concedatur, quamdiu de laesione physica tantum sermo est: merito tamen negatur, si de laesione morali intelligeretur. Illa supponit physicam, haec vero moralē causam. Quoties quis in officiorum collisione iure suo vtens fidem non seruat, ansam omnino praebere potest, vt malum physicum in pacientium altero, eoque ipso laesio physica, oriatur, at laesio et damnum morale, quia intentio deets, neutiquam locum habet. Quod si alter contrahentium vero postulet, vt cum damno nostro fidem seruemus, nostraque iura et obligations negligamus, malum morale nobis infert, vereque nos laedit. Dum enim impedit, quo minus obligationibus per conservationis legem nobis impositis satisfaciamus, similque vult, vt iura inde nobis competentia negligamus, damnaque ex neglectis iuribus feramus, idem est, ac si damnum nobis ipse inferat, atque nos vere laedadat.

§. VII.

Praeterea canonem: *neminem laede;* in casu proposito crude allegans manifeste illo abutitur. Nimis angustis vulgo circumscribitur ille limitibus, dum de aliorum laesione tantum intelligitur. Triplex obiectum habet, idemque est, ac si diceres, nec deus, nec nos, nec alii sunt laeden-di. Quilibet pacientium illum quidem allegare potest, at in casu collisionis officiorum, qui damnum metuit, iure eundem allegat. Qui ad illum igitur prouocat, vt alterum ad fidem cum damno suo seruandam adigat, manifeste peccat, alterumque vere laedit. Eodem modo peccaret, qui alterum canonem: *suum cuique tribue;* ea mente allegare vellet, vt alterum cum damno suo ad fidem seruandam adstrin.

stringeret. Et hic canon deum, nos et alios pro obiecto habet. Extra necessitatem suum cuique pro casuum diuersitate secundum ordinem tribuimus. Quoties autem in officiorum collisione de nobis et aliis simul sermo est, nobis primario, deinde et aliis suum tribuimus, nisi et hic nosmetipso laedere et contra conseruationis legem impingere velimus. In potestate nostra neutquam est, nostrum nobis denegare, et damnum pati, vt aliis suum tribuamus. Si alii hoc postulant, nos iterum manifeste laedunt. Ita agentes etiam si iniustitiae rei non essent, iniquitatis inhumanitatis et duritiae, vitiis immunes dicendi vix forent. Imitentur ipsum summum numen quod iuribus suis interdum quasi renunciat, officiorumque sibi debitorum adimplitionem in necessitatibus casu nobis remittit.

## §. VIII.

Si, cui fides non seruatur, ad canonem: *nemo alterius damno est locuplerandus*: eo fine prouocare auderet, vt damnum metuentem ad pactum seruandum cogereret, non minus iure suo abuteretur. In thesi, hoc est, in se spectatus canon verus est: in hypothesi autem, hoc est, ad praefsentem necessitatis casum applicatus fallit. Officiorum collisione et hic exceptionem suadet. Fidem ob damnum immicens qui non seruat, iure suo non vtitur ideo, vt alterius damno locupletior euadat, sed vt suum damnum evitet. Etiam si igitur malum quoddam alter inde sentiat, physicum modo est, quoniam inferens laedendi animum non habet. Non soluit enim pactum ideo, vt alterum laedat, sed vt damnum sibi immicens evitet. Soluit pactum sibi noxiun, vt suum sibi tribuat. Soluit pactum, quod felicitatis sua potissimum, non vero alienae, promouendae ergo iniit, quis finem hunc obtinere nequit. Soluit denique pactum, vnde laesionem veretur, ne semetipsum laedat. Hinc proprie dici nequit, quod fidem frangens alterius damno locupletari cupiat. Ferendum igitur alteri est incommodum, si quid sentit, et cogitandum hic quoque

## VIII DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

que ipsi est, alterum ad detrimentum subeundum obligatum non esse, ut alterius damnum evitetur. Cogitandum ipsi porro est, non sibi solum, sed et alteri, hanc legem, aequem, ac praecedentes, scriptam esse. Vterque igitur pro circumstantiarum diuersitate illam in sui fauorem allegandi ius habet: in officiorum collisione autem illi soli, qui de periculo imminentि vitando sollicitus est, ad eam refugendi ius competit, quantumvis non aliter, quam cum aliqua alterius laesione, fiat.

### §. XI.

Eadem denique respondenda forent illi, qui tritum illud: *malum non est admittendum, ut bonum inde eueniat*: debellandae sententiae nostrae ergo, huc trahere conantur. Nam ex modo dictis facile intelligitur, brocardicum illud eodem modo, ac reliqua, in thesi ut verum concedi posse; in hypothesi autem itidem fallere. Qui enim ob periculum ex promissi praestatione imminens fidem non seruat, non proprio bonum nouum acquirere, sed ut bonum, quod habet, retineat, malum auertere studet. Quum ad hoc quilibet obligatus est, malum alteri, si quod sentit, iure, non vero contra ius, infertur. Canon autem prohibet, quo minus contra ius alicui damnum inferatur, idque ideo, ut ex damno illi illato boni positui quid in nobis oriatur. Hic damnum inferens est causa moralis, at in nostro casu, dum foedifragus ansam praebet, alterum pacientium malum quoddam inde sentire, huius mali causa physica tantum, neutquam vero moralis, dici potest. Haec enim tum demum intelligitur adesse, quando alicui animus est contra ius alterum laedendi, id quod vero in eum non quadrat, qui ideo fidem non seruat, ut damnum ex pacto metuendum a se auertat, intentionem autem alteri damnum inferendi non habet.

### §. X.

Quoniam ex his principiis alia quoque, si adsunt, dubia facile explicari poterunt, plura non addimus; at, ut sens-

sententia nostra, si fieri potest, non tantum clarior, sed etiam certior euadat, ad nouum potius progredimur argumentum, quod a *pacisciendi modo* desumtum est. Fiunt autem pacta pure et simpliciter aut conditione quadam addita, quae posteriora ea propter, quoniam causa ipsis expresse additur, conditionata quoque dici consueuerunt; id quod tamen neutquam impedit, quo minus, quae pure fieri dicuntur, conditionata etiam vere sint. Sed quidquid sit, nos quidem in ea versamur haeresi, omnibus conventionibus per naturam suam, praeter generalissimam felicitatis promouendae conditionem, illam quoque, quae sub nomine clausulae: *rebus sic stantibus*: iamdudum innotuit, tacite inesse.

\* CHRIST. THOMASIVS *Instit. diu. iur. L. II. C. VI.* §. 102. negat, pacta, quibus expressa conditio non adiecta, conditionata proprie dici posse. De verbo lis est. Licet non formaliter, virtualiter tamen, conditionata vere sunt. Illa specialem et determinatam, haec vero generalem, conditionem, qualis clausula nostra est, postulant.

## §. XI.

Quodsi clausula illa omnibus per naturam inest pactis, sequitur, vt, mutato pactorum obiecto ita, vt amplius non sint, quod initiae conventionis tempore fuerunt, consensus pacientium quoque ulterius non subsistat, sed aequie, ac obiectum pacti, mutetur. Per clausulam hanc enim pactum euadit conditionatum, quod, si conditio fallit, ipsum quoque cessat et nullum redditur pactum. Hinc recte III. DAN. NETTELBLADT *syl. elem. nat. uniuers.* §. 670. afferit: „*si clausula rebus sic stantibus pacto inest, omnino efficit, pactum corruere, si res non stant, prout stabant tempore pacti initi.*“

## §. XII.

Quum pactorum obiecta non tantum in deterius, sed, data occasione, in melius quoque mutari queant; quaeri

B

po-

## X DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

poteſt: vtrum paſtum ob interuenientem obieci mutatio-  
nem in vtroque caſu a laedendo reuocari queat? Res  
omni dubio caret, quoniam pacientium alteruter in vtro-  
que caſu damnum ſentit. Nam, re in melius mutata, pro-  
mittens ſue debitor laederetur, ſi ſub circumſtantiaſ per  
paſtum determinatis eamdem praefare teneretur. Re autem  
in deterius mutata, acceptant ſue creditori damnum ſub-  
eundum foret, ſi pro re deteriori obligationi ſuae ſatisfac-  
cere teneretur. Res itaque, ſue melior ſue deterior per  
mutationem euadat, paſtum ſemper reddit nullum. Idem  
enim, quo conſenſus nitebatur, deficit, ideoque lactionem  
metuens pars, paſto vt ſtet, obligata non eſt.

### §. XIII.

Quibus rite intellectis, quid iis, qui *iura per conuen-  
tiones legitimas aliis confeſſa irreuocabilia eſſe*, afferunt, re-  
ſpondendum, facile apparebit. Quoties praefationis tem-  
pore res adhuc eadem, quoties rei mutatio neque facta  
nec certo metuenda, iura, ſine villa alia conditione confeſſa,  
ſunt irreuocabilia. At in caſu, de quo nobis sermo,  
res aliter ſe habet. Supponimus enim paſta conditionata,  
ſcilicet, ſi mutatio obieci praefandi nec fit, nec certo fu-  
tura eſt, ſed res eodem ſtat loco, quo paſti initi tempore  
ſtetit. Quemadmodum in eiusmodi paſtis proprie dici  
nequit, iura, pendente conditione, legitimate confeſſa le-  
gitimeque acquisita eſſe: ita nec iura irreuocabilia proprie  
dici merentur. Spes iuriſ acquirendi tantum facta eſt,  
ideoque ius tum deſum legitime acquisitum atque irreuocabile  
nominandum erit, quando praefationis tempore con-  
ditio exiſtit, hoc eſt, quando nulla rei praefandae mutatio  
facta, nec certo metuenda eſt.

### §. XIV.

Quoniam itaque ex hac ratione aequa, ac ex antea al-  
latis, apparet, paſta ob damage inde metuenda nulla eſſe  
et

et a laetendo iure dissolui posse: sententiam nostram firmo niti, talo, contrariam, autem defendantium argumenta nulla esse, eo fortius persuasi sumus. Concedimus quidem, omnia argumenta, quae ex legibus diuinis et humanis pariter, ac ex fanae rationis principiis, eum in finem allegantur, et a Doctoribus multo studio colliguntur, ut, fidem et pacta seruanda esse, probent, veritate sua niti: At nemo prudens quoque negabit, omnia illa, quam bona, quamque solida quoque fuerint, tum demum valere, quando de casu ordinario et de conuentionibus puris sermo est. Quoties vero de pactis conditionatis et de casu necessitatis quaeritur, argumenta illa omnem vim suam perdere, concedendum nobis erit. Cessantibus sic pactis, cessat nostra fidem seruandi obligatio: cessante nostra obligatione per pactum nobis imposita, cessant aliorum iura exigendi, ut pactis stenus. Hoc tamen non obstante praetudemus, eos, qui, fide non seruata, votorum suorum compotes non evadunt, de laefione conquestruos esse. Quos, ut mitius atque aequius sentire discant, rogatos cupimus, ut eorum, a quibus laefos se arbitrantur, occupent locum. Si homines fanae rationis ducum sequi dicentes; aureum ilud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* nunquam negligenter; diligentes potius perpendenter, quemlibet in necessitate praefidium quaerere, et ab obligatione imposta, illa mediante, liberari tentare. Experientia loquitur!

## §. XV.

At enim vero, inquires, rite sese haec omnia haberent, si sufficienter probatum modo esset, conditionem illam: *rebus sic stantibus*, omnibus conuentionibus per naturam vere inesse. Quod vero res haec maxime dubia, quod lis sub iudice adhuc sit, summorum virorum, quippe qui clausulam illam aut in totum reiiciunt, aut maxime faltim limitant, dissensus satis testatur. Docent hoc exemplo suo HVGO GROTIUS et SAM. PUFENDORFIVS, et, post il-

XII DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

lustres hos dumuiros innumeri alii, tam clare, vt res nuli dubio sublit.

§. XVI.

Clausulam illam, non obstante Doctorum dissensu, patet omnibus ineffe, docet conuentionum *finis*, *felicitas* nostra, quae, quemadmodum omnium actionum nostrarum, ita et pactorum omnium norma est. Sanae mentis homines paciscuntur quoque eo consilio, vt acquirant commodia, quibus mediantibus salutem suam promoueant. Si per conuentiones aequae, ac per alias actiones, felicitatis media actu quaeruntur, aut saltim quaeri debent, omne damnum, omnemque laetionem, quippe quae calamitatis media sunt, actu ipso excludi, appareat. Quoniam omnis laetio in pactis exulare debet, sequitur, vt etiam ex rei mutatione oriunda laesio et damna exulent. Nam paciscentes, quod utilitati, commodis et felicitati suae obstat, non in genere tantum, sed in quolibet casu etiam, nolle debent, quamdui salutem et miseriam simul velle contradicitorum est. Pacta, quorum obiecta mutata, felicitati contrahentium promouendae haud inserviunt. Re enim mutata, finis aut plane non, aut non eo saltim, quo deberet, obtinetur modo. Ut igitur paciscentium finis obtineatur, pactorum obiecta in statu, quo a pacti initio fuerunt, sine omni interueniente mutatione vt maneat necesse est. Quod si verum, simul appareat, clausulam, rebus sic stantibus, cuiilibet per naturam tacite ineffe et ineffe debere conuentio. Nam clausula illa hoc ipsum inuoluit, vt pactorum obiecta ad praestationis tempus usque retineant eamdem, quam initi pacti tempore habuerunt, indolem, siue quod idem, vt in statu eodem maneat. Quoties autem status negotii mutatur, obligatio cessat. Cessante obligatione praestandi cessat alterius exigendi ius. Ut felicitas igitur, ita et obiectorum immutabilitas, pactorum conditio naturalis est. Illa enim sine hac ita, vt intentio paciscentium

po-

postulat, obtineri nequit. Si naturalis, simul tacite etiam ineſt, hoc est, non requiritur, vt illam expreſſe negotio adiciamus. Res enim pro nobis loquitur et tutos nos ſemper praefat.

## §. XVII.

Idem quoque docet *pactorum natura*. Pactum eſt conſensus duorum in idem placitum. Fundamentum huius conſensus eſt idem illud placitum, quod vterque vt bonum elegit. Si pactum ſubſiſtere debet, conſensus ſubſiſtat, oportet. Si conſensus ſubſiſtere et durare debet, idem placitum vt adiſt, requiritur. Si idem placitum adiſſe debet, obiectum paſti, quod idem illud placitum conſtituit, immutabile eſſe debet. Nam mutatione eiusdem placiti ſue obiecti, circa quod pactum verſatur, facta, res vt non ea-dem, ita nec conſensus idem locum vterius habere po-tet. Ceffantibus cauſis ceſſant effectus. Ceſſante igitur eodem placito per interuenientem eiusdem mutationem, ceſſat conſensus, ceſſante conſenſu, ceſſat pactum. Si pa-ctum et conſensus, non obſtante obiecti mutatione, dura-re deberent, idem eſſet, ac ſi damnum ac laeſionem no-ſtram veſle obligaremur. Mutatio rei enim cum alterutrius damno ſemper coniuncta eſt. Quoniam hoc cum pacto-rum fine pugnat, idem obiectum immutabile ſit, oportet. Quod ſi igitur idem obiectum in ſtatu, quo initii pacti tempore fuit, neceſſario manere debet, vt idem conſensus, eoquie ipſo ipſum paſtum ſubſiſtere queat: ſequitur, vt clauſula: *rebus ſic ſtanibus*: etiam per paſtorum naturam paſtis tacite inſit. Porro, omne paſtum conditionatum eſt nullum, ſi conditio deficit. Identitas rei eſt conditio cuiuslibet paſti, per antea dicta, quae ſi praefationis tempore propter mutationem obiecti deſſit, conſensus ceſſat. Conſensus enim non in quamlibet, ſed in certam et determinatam rem eſt interpoſitus, id quod ex paſti definitione, qua, nonnullorum ex mente, dicitur, *conſensus duorum vim obligantem ſuper re determinata utrumque*

XIV DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

*producens*; clarius patet. Res non quaelibet igitur, sed determinata est fundamentum consensus et pacti, quae si subfistere debent, non sufficit, rem ab initio esse determinatam, necesse potius est, ut res praestationis tempore easdem determinationes habeat, quas, dum pactum fieret, habuit. Determinata igitur hac re mutata, mutatur rei identitas. Mutata obiecti identitate, cessat conditio, cessante conditione, cessat consensus, et hoc cessante ipsum cessat pactum, sive quod idem, pactum est invalidum.

§. XVIII.

Ex his, nisi tota via aberremus, satis appareat, clausulam: *rebus sic stantibus*. cuilibet pacto per naturam inesse, eoque ipso, pacta mutatione interueniente, inutila et nulla euadere. Ne statuere cogamur, homines, alias non imprudentes, infinitis in casibus ad sibi noxia, imo adeo impossibilia, quorum tamen nulla obligatio est, sepe adstringuisse; clausula illa eo magis admittenda erit. Quilibet per pactorum finem statum suum meliorem reddere cupit: nemmo igitur eodem tempore noxia et damnotha pacta velle potest, qualia sunt, quorum obiecta mutata. Ut igitur finis ille obtineatur, obiectum pactorum semel determinatum, tanquam medium, sine quo finis obtineri nequit, immutabile stare debet \*). Qui ad haec principia dissentientium opiniones, sepositis praeiudiciis, examinaturus est, quid de illis statuendum, facile inueniet. Nodos in scirpo quaeſiuſſe videntur. Ne hoc gratis dixisse, accusemur, unius alteriusue grauiſſimorum Doctorum sententias allegabimus, dubiaque ab illis mota ex principiis allatis remouere tentabimus, in scenam simul productis quibusdam, qui sententiae nostrae fauent.

\*) Argumentatio nostra conuenit cum regula ista: „interpretatio quoque fit ex medii necessitate, si nimis finis proximi alter obtineri nequit: qui enim vult finem, vult quoque me-

media. Conf. Perill. L. B. DE COCCEII Grot. illustrat T.  
II. p. 335.

## §. XIX.

HUGO GROTIUS, magnum illud orbis eruditus fidus, auctoritate sua magnum sine dubio eruditorum numerum seduxit. Negat vir summus, licet non simpliciter, clausulam *rebus sic stantibus pactis inesse*. „Solet, inquit de I. B. et P. L. II. c. 15. §. 25. n. 2. et hoc disputari, an promissa in se habeant tacitam conditionem, si res maneant, quo sunt loco: quod negandum est, nisi apertissime patet, statum rerum praesentem in unica illa, quam diximus, ratione inclusum esse. Ill. L. B. SAM. DE PVFENDORF I. N. et G. L. V. c. 12. §. 26. hanc quaestione tractans iisdem fere verbis, quibus GROTIUS vobis est, ad illam respondet. At ne, quod coeco impetu GROTIUM suum sequutus sit, accusari posset, adiecit rationem, cur ita sentiat. En illam! „*conditio haec odiosa est, utpote irritum reddens promissum, ideoque non facile est praesumenda, ubi non fuerit addita.* „Ratio haec tanti ponderis non est, vt, mutata sententia nostra, eius opinioni subscribamus. Principia a nobis allata, quo minus hoc fiat, impediunt. Concedimus quidem, odiosum esse, promissa et pacta irrita fieri; concedimus quoque, durum esse, innocentem ex inito pacto aut damnum quoddam sentire, aut sperato saltim carere debeare lucro: At nemo cordatus aequusque rerum arbiter quoque dubitat, quin multo odioius multoque durius sit, nos vel ideo damnum sentire debere, ne promissum ob mutatas circumstantias nobis damnosum euadat irritum, sed vt potius in eis, cum quo contraximus, fauorem subsistat. Si Vir illustris perpendisset, iura ex confirmationis lege antiquiora, ideoque preferenda, esse iuribus aliorum ex pacto, quae nouiora sunt, acquisitis; si perpendisset, nos non esse obligatos, aliorum commoda cum damno nostro promouere: fidelneam hanc rationem apponere sine dubio erubuisse. Et illud quoque assertum eius,

quod

XVI DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

quod „conditio illa non facile praesumenda, vbi non fuerit addita,“ cum rei natura parum conuenire videtur. Si enim, quod monstrauimus, clausula: rebus sic stantibus omnibus promissis et pacis naturaliter inest, necessarium neutiquam erit, expresse illam addere. Quidquid per naturam negotio inest, pacientes semper tutos praefat, nec expressa indiget additione. Quae idem ill. auctor l. c. C. XI. §. 10. de mutatione in personis pacientibus post conventiones obueniente habet, quilibet rerum intelligens, si asserta eius ad vera principia examinare voluerit, nobis etiam tacentibus, facile intcligit.

§. XX.

GVL. GROTIUS *Enchirid: de princip: I. N. c. 16.*  
§. II. ad quæctionem: „an, quia res in eodem statu non manst, corrut ipsa pactorum efficacia? respondet: nos distinguendum putamus an talis mutatio aut personarum aut rerum incidevit, vt si ea tempore initi pacti fuisset, promissor se obligaturus non fuerit, tunc enim intercidere obligationem, quia nimivum is rerum status unicam causam promittendi dedit, sii vero alia minor mutatio incidevit, eam minime curari, vi posse accidentis extrinsecum. Distinctionem hanc fundatam esse non negamus. Vsum quoque in foro ciuili, vbi iudex de mutatione facta statuere potest, illam habere, concedimus. Vtrum vero in naturali foro magnae utilitatis sit, de eo maxime dubitamus. Quis enim ex aequalibus determinabit, vtrum mutatio essentialis, an accidentalis sit? Ad hanc distinctionem enim mens Grotiana ex annotatione IOH. IAC. MULLERI loco allegato subiecta est reducenda. Perillustris L. B. DE COCEII in notis ad H. Grotii locum allegatum eam distinctionem approbat, eaque posita, omnibus negotiis inesse clausulam, si res in eodem statu maneat, concedit. Experientia docet, nos essentialie quid iudicare, quod ab aliis accidentale non raro putatur. Res igitur ad cuiuslibet arbitrium redit, ideoque distinctio illa multis fal-

saltim in casibus, omnem suam vim perdit. SAM. FRID.  
WILLEMBERG *Siciliment: iur. gent. prud. L. II. c. 16. qu.*  
*27.* etiam negat, tacitam conditionem, si res maneant,  
eo, quo sunt loco, promissis ineffe, ea praesertim ratio-  
ne ductus, quod „ob *inconstianiam rerum humanarum*  
*semper quid excogitari posse, ob quod rumperentur promissa?*“  
At, quam speciosa haec ratio quoque videatur, vix tamen  
audiendus est illius inventor. Nam statutus controviciae  
mutatur. Neutquam enim de eo, quid homines cogitent,  
sed quid vere sit, quaeritur. Illud facti, non iuris est. Per  
facta aliorum iniqua ius nostrum non tollitur. Si mutatio  
igitur vere adest, si alterutri ex rei mutatione damnum ve-  
rum et certum metuendum, id quod in foro naturali et  
ciuili facilius determinatu, quam quaestio de essentiali et  
accidental mutatione, tunc de aliorum opinione ex incon-  
stantia orta frustra quaeritur.

## §. XXI.

Non est, quod Grotii Epitomatores PHIL. REINH.  
VITRIARIVM, IOH. GE. SIMONEM, IOH. SCHEFFERVM IOH.  
HENR. SVICERVM, et praeter hos, HENR. VFFELMANNVM, hic  
moremur. Sequuntur Grotiorum et Pufendorfii vestigia. Studio  
etiam quid ligi de clausula: *rebus sic stantibus:* censeant, hic praet-  
erimus. Interim videri potest CASP. ZIEGLER in *not: ad*  
*Grot: de I. B. et P. L. II. C. 16. §. 25. p. 394.* praeser-  
tim vero ill. HENR. de COCCII disp. de clausula *rebus sic stantibus* Erfr. 1699. bab. Circa en autem quae IOH. GVLFG. KIP-  
PING in *Specim: error: commun: in iure s. diatribib: de ta-*  
*cita clausula rebus sic stantibus ad publicas conuentiones non*  
*pertinentes Helmst. 1739. et illustr. DAN. NETTELBLADT*  
*in Syst: elem: Iurisprud. nat. uniuers]. §. 673. recentiss. edit.*  
habent paululum nobis subsistendum erit. KIPPINGIVS  
quidem magna molitus est: sed ex iudicio nostro, eu-  
entu parum felici. Hinc tanti eius demonstratio nobis non  
videtur, ut sententiae nostrae nuntium mittere cogamur.

C

Clau-

## XVIII DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

Clausulam nostram ad conuentiones publicas non pertinere potissimum demonstrare fategit. Scopo huic satisfactum fore creditit, si clausulam repugnare aequitati, probatum daret. Ad hoc autem probandum, aequitatis notio ut praemitteretur, necessarium ipsi vifum. Priusquam vero meutem suam exponat, Ictorum praesertim scrinia expilare, multa vanâ inde depromere, tandemque definitionem suam apponere ipsi placuit. Haec autem ita fere habet, vt in iustitiam, omnemque fere aliam virtutem, aequem bene, ac in aequitatem, quadret. Est enim *studium suum et aliorum promouendi perfectionem sine violatione et suum cuiusque (§. 72.)* Huic studio pergit §. 73. *consentaneum sit oportet, quidquid aequum dici debet etc.* Ad rem, addit. §. 78. *Vbi clausulam rebus sic stantibus sine violatione et suum cuiusque locum habere non posse, demonstratum iuimus plene planeque euicisse nobis videatur, clausulam aequitate (iustitia potius) destitui.* Atqui ex natura pactuum, conditionum et presumptionum facile demonstrabimus, clausulam esse iniquam (sive potius, sine violatione locum habere non posse,) immo iniquissimam; ut etiam iniusta dici possit, hoc est tam regulis iusti quam amoris contrariam. Quod clausula cum pactis confistero nequeat, §. 79. sqq. probare aggreditur. Robur argumentorum in §. 88. obuium est. *Conuentio, inquit, est consensus duorum in idem placitum. Consensu iura ab uno in alterum transferuntur. Ea igitur est vis pactorum, ut ex illis ius acquiratur pacientibus. Ius quaesitum inuito non potest auferri. Pacta igitur sunt seruanda. Atqui clausula rebus sic stantibus auferit ius quaesitum, et violat et suum alterius.* Concedimus omnia haec rite se habere, quoties de pactis simplicibus sermo est. At si ad conditionata referuntur, tot errores, quot propositiones, adsum, id quod ex supra dictis satis appetit. In his enim nullum ius quaesitum, sed spes. Hinc nec auferri, nec laesio alterius cogitari potest. Et si adesset, damnum euitans ex iure proximitatis suo iure vitetur, ideoque neminem laedit. Caeterum iure monet, utriusque pacientis

ciscentium ob mutationem interuenientem ius recedendi à contractu competere debere, id quod nemo sanus forsan vñquam in dubium vocavit.

## §. XXII.

Conditionum naturam clausulae nostrae praesidio non esse, §. 94. seq. demonstrare subit. At non feliciori hunc laborem subit successu. Praemissis conditionis et. modi definitionibus, quaestione: *an conditio resolutua per se siue tacite insit conventionibus, proponit. Quo minus hoc affirmare ausimus, respondet §. 98. impedir.* 1.) *vis pactorum et firmam obligationem et ius firmum producens;* id quod de simplicibus, neutri- quam vero de conditionatis, valet. 2.) *natura conditionum, quae, quum facti sint et ius ex pacto natum limitent, immo auferant, praesumti nequeunt, sed expressam voluntatis declaracionem desiderant.* Valet de expressis et arbitrariis, minime vero de tacitis et naturalibus conditionibus. De hoc est quaestio, hoc probare debuisset, si fallaciam ignorationis elenchii euitare voluisset. 3.) *Incertum iudicium de pacificationis fine, ubi hunc ipse in tempore non indicauerint.* Quae per naturam insunt, quilibet sanae mentis homo nosse potest et debet. Nemini, nisi Kippingiani ingenii hominibus iudicium incertum haerere hic potest. 4.) *Fallax suppositio unius finis vel cause, quum plures esse possint.* Pacificentium finis est felicitas promouenda, coqure ipso damnum evitandum. Quem hic finis fugit? Kippingius igitur cum laruis et umbris pugnat. Quando in §. 99. Iustiniani auctoritate ductus negat, *ea, quae tacite insunt negotio, facere conditionem,* parum philosophice agit. Etenim ubi adest causa, a cuius existentia validitas negotii pendet, ibi adest conditio. Tricae iuris ciuilis rerum indolem mutare nequeunt. Quando in fine addit: *clausula non inuoluit conditionem negotio conuenientem et inhaerentem, sed aduersantem,* merito quaeri potest, quid Kippingius cogitauerit, dum haec scriberet. Quod clausula pactis conueniat ac natura-

C 2 liter

XX DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

liter inhaereat, super probatum. Ceterum omnium conditionum resolutiarum natura aduersatur conuentionibus, si aduersari idem est, ac negotium tollere. Si clausula ideo taxanda, pessime et contra rei naturam agunt suamque felicitatem impidunt, qui conditiones arbitrarias pactis adiiciunt.

§. XXIII.

Quae de praesumptionibus §. 100. sqq. eo sine adiecta sunt, vt probetur, ad clausulam illas accommodari non posse, risu partim, partim commiserationem merentur, id quod, qui textum vel obiter modo inspicere velit, facile intelliget. *Si qualitas*, inquit §. 101. *quae naturaliter homini vel rebus inest semper adeesse praesumatur, merito praesumendum est, pacientem iuris conservandi, litiumque vitandorum causa, conditionem rebus sic statibus appositorum fuisse*, etc. Vbi iudicium? merito hic queritur. Quid risu dignius, quam postulare, vt, quae per naturam insunt, expresse addantur? Superflua quidem non nocent, si Praetori fides habenda; interim tamen prudentes nulla necessitate obligantur, vt in seriis rebus superflua venentur. *Ex eadem ratione*, pergit §. 102. *in dubio minime est praesumendum, alterum in talem conditionem consensisse, quae cum nunquam periculo amittendi iuris quaesiti vacuum esse finit.* Quis et hic iudicium non requirat? De eo non est quaestio, vtrum pacientes consentire velint, nec ne? Per leges illas: *neminem laede, suum cuique tribue*: consentire tenentur. Nec ius quaesitum, sed spem iuris acquirendi tantum pasta conditionata concedunt, Quoniam ex his, tanquam ex vngue leo, reliqua facile intelliguntur, plura addere piget. Rationes falsis suppositionibus nitentes, iuncta iuris civilis et naturalis politicesque confusione, ingenium Kippingii in tantum adegerunt gyrum, vt, quo se veritat, ipse nesciat. Nec exclamations, quas §. 90. immiscerit, tem conficiunt. *Sed ita, pristini status mutatio, ita conque-*

queritur, pene omnes contractus labefactabit et subuerteret. O quantam fragam passurae sunt conuentiones! quantas lites paritura haec doctrina! Quam incerta futura rerum dominia! quam minime tuta illa pax! Quae omnia abusum testantur. Sed quis, quaeso! iustum usum per abusum tolli vñquam probauit? Ex omnibus patet, laudandum quidem esse Kippingium, quod voces Pragmaticorum, quos vbique acerbe fugillat, stridentium sturnorum more imitatus non sit: interim tamen labores eius nec operam nec oleum commeruisse, simul manifestum est.

## §. XXIV.

Missis nugis illis difficilibus, ad ea, quae Cel. NETTELBLADT l. c. monuit, ponderanda accedimus. Concedit quidem, claufulam: rebus sicstantibus: pactis inesse, sed tum demum, si pacientes mutationem post pactum initum ortam praeuidere non potuerint, et tamen, si praeuidissent, pactum initum non esse, certissimum est. Tum enim absque pacientem culpa cessat eorum voluntas. Duo potissimum sunt, quae, pace viri illustris, ad haec monenda ducimus. Primo quidem restrictiones allatae in disciplina iuris naturae eo minus locum habere videntur, quo clarius est, cum iis, quae supra ex-rei natura a nobis deducta sunt, non fatis bene conuenire. Conuentiones sunt in idem placitum consensus. Quod si verum, ut ipse Vir illustris agnoscat, omnia a contrahentibus iam determinata supponuntur, alias nec idem placitum, nec, verum certumque confitendum adfuisse, iure contendere licebit. Si hoc, manifestum est, frustra quaeri, Vtrum mutatio tanquam possibilis praeuideri potuerit? Sufficit, nullam esse praeuisam, sed partes circa rem, qualis pacti initi tempore fuit, inter se conuenisse. Docet hoc quoque canon ille satis notus: *conuentiones ad non cogitata nequit quā extenduntur*. Confensus verus enim rem certam et determinatam supponit. De eo, quod adfuit, cogitantes inter se conuenierunt. Hinc omnis mutatio

## XXII DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

tio post consensum interpositum obueniens inter non cogitata referenda est. Quamdiu igitur idem placitum, quamdiu eadem res determinata, verum et proximum consensus, et ideo quoque conuentionum fundamentum est, clausula illa a nullo pacto separari potest, proindeque cuilibet naturaliter eam inesse oportet. Deinde, etiam si sententiam Nettelbladtianam in thesi admittere vellemus, in hypothesi tamen, quoniam ad impossibilia ducere et restrictiones adiectae regulam ipsam tollere videntur, locum vix habere poterit. Quisnam pacifcentium enim mutationes futuras praeuidere tenetur? Et si hoc determinari quoque posset, quaestio tamen oritur noua, vtrum obligati vires mutationibus praeuidendis sufficient? Res determinatu difficultima! Ingenia hominum enim maxime a se inuicem differunt. Quod his intellectu facile, alis, si non impossibile plane, maxime tamen difficile erit. Denique et ea quaestio hic redit, quis harum rerum in foro naturali iudex esse debeat? Sententiam itaque, quam defendimus, ob allegatas rationes veram esse, vix negari poterit. Vtrum autem damnum ex mutatione ortum patiens, vel orandum metuens, ad clausulam illam semper prouocare queat, alia, praesertim in foro ciuili, quaestio est. In hoc enim datur iudex, qui in auxilium adhiberi potest. Quod si igitur data occasione probari posset, hunc vel illum mutationem praeuidere et valuisse et debuisse, quod si damnum alterius ex pacti revocatione maius esset, quam illius, qui praeuidere mutationem et potuit et debuit; vsus clausulae huic ex regulis aequitatis omnino denegandus foret.

## §. XXV.

Quod si iam conditio, si res eo, quo sunt, stant loco, omnibus pactis per naturam vere inest, pactum quolibet illa, ob interuenientem mutationem, deficiente, per naturam quoque nullum esse, sequitur. Et quoniam mutatio rei, quae pacti obiectum est, in alterutrius pacifcentium damnum

damnum vergit; verum simul quoque erit, omnia pacta ob  
damnum inde oriundum esse nulla. Agnouerunt has veri-  
tates antiquorum aequae ac recentiorum Doctorum quidam,  
quos inter non infimi subsellii viri sunt. Prouocare hic  
licebit primario ad CICERONEM, qui Offic. L. I. C. X. et  
L. III. C. XXIV. nobiscum facit. SAM. RACHELIUS in  
commentario suo ad dicta Ciceronis loca eamdem defen-  
dit sententiam. Ad hanc vterius probandam in auxilium  
adhibet GROTIANVM dictum ex L. II. de I. B. et P. C.  
II. §. 8. vbi: *promissio, inquit, vim accipit ex iure promit-*  
*tentis, nec ultra eam extendi potest.* Iam vero, addit RACHELIUS,  
non est in potestate promissoris, se nolle ratio-  
nem et curam babere salutis, eamque sibi exploratam usu.  
Monet quoque, quod „*et si, fides et promissa sunt seruanda,*  
*Iuris nat. principium sit; illi tamen urgente circumstan-*  
*tiarum ratione non crude inhaerendum, sed ab eo receden-*  
*dum sit, si, vbi huic stricte inhaeseris, maioris auctorita-*  
*tis praeceptum violatur.*” Praecepta autem *conserua te, te*  
*non laede, tuum tibi tribue,* maioris auctoratis normas  
esse, quam praeceptum de fide seruanda, nemo fanus du-  
bitabit.

## §. XXVI.

Jungimus Ciceroni SENECAm, qui pari modo nostram  
sententiam masculine defendit. Teftantur hoc L. IV. c. 34.  
et 35. de benef. praeprimis inde hue faciunt: „*non mutat*  
*sapiens consilium, omnibus his manentibus, quae erant,*  
*quoniam sumeverat.*” Ad omnia cum exceptione veniet, se  
nihil incidet, quod impediatur. Tunc fidem fallam, tunc  
constantiae crimen audiam, si quoniam omnia eadem sint, quae  
erant promittente me, non praeflitero promissum. Alioquin  
quidquid mutatur, libertatem facit de integro consulendi et  
meam fidem liberat. At enim vero, inquis, stoica iactan-  
tia est, quae eo minorem attentionem meretur, quo magis  
constat, eundem Senecam his plane contraria docere.

Pro-

## XXIV DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

Proabant hoc, quae in eius epist. 88. habentur, scilicet: *fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumptur praemio: Vir inquit; caede, occide, non prodam: sed quo magis secreta quaeret dolor, hoc illo altius condam.* „Humani quid Seneca passus fuique hic oblitus esse videtur, id quod adeo mirandum non est, quum ii ipsi, qui methodo rigorosiori in demonstrationibus vtuntur, a contradictionis vito non semper sunt liberi. Etiamsi enim assertum eius ad eum modo, de quo in specie loquitur, restringere vellemus causum, nec sic tamen sententia eius in vniuersum defendi possit. Iure enim arcana quoque, quin imo ea ipsa, quae sub sigillo confessionis committuntur, urgente necessitate, prodere licet, de quo, praeter alios, consulendi ill. BOEHMER *Iur. eccl. protest.* T. V. L. V. Tit. 38. §. 44. *sqq.* HERTIVS *Opusc.* II. III. *paroem.* 63.

\* Interpretationes, quibus nonnulli et Ciceronem et Senecam in suas partes trahere amittuntur, quoniam nimis longum foret, hic neutiquam morarum. Et quum rei natura pro nobis militat, illorum auctoritate facile caremus.

## §. XXVII.

Ex recentioribus, praeter GROTIUM. PVFENDORFIVM et reliquos, qui saltim cum limitatione nostram sententiam admittunt, luc referendi sunt ALBER. GENTIL. de I. B. p. 709. DAV. MEVIVS, magnum illud inter ICtos oraculum, in Nulc. *Iur. Nat. et Gent. inspect.* II. §. 41. GVIL. AMESIVS de Conscientia L. V. c. 41. §. 23. Cel. NIC. HIER. GUNDLING I. N. et G. Cap. XII. §. 28. et Cap. XIII. §. 17. et GE. BEYER *Delin; iur. diu. nat. c. 17. n. 10.* Excipit autem posterior hic Vir consultissimus in nota ibi adiecta contractus onerosos dominium statim conferentes. Vtrum sufficientem ita sentiendi rationem habuerit, multis hic, ne falcem in alienam messem mittamus, disquirere non attinet. Res ex legibus ciuilibus, quae

quae tamen aduersis inter se pugnare non raro videntur, frontibus, potius, quam ex principiis iuris naturae diuidanda est.

## §. XXVI.

In scenam hoc loco quoque producere possemus Vi-  
tum reverendiss. VALENT. ALBERTI, qui in *compend. Iur.*  
*nat. orthod. theolog. conform.* P. II. C. VI. §. 55. in statu  
corrupto saltim fidem tum seruandam non esse admittit, si  
materia promissa in aliud transfertur statum. IOH. IAC.  
ARYSEL I. N. et G. C. 29. §. 22. quaestione: an princeps  
fidem in foedere datam possit revocare, si istud pugnabit cum  
vilitate reip. suae? affirmat, quia tacita clausula inest, ut  
nimivum in tantum valeat, in quantum non insigne ma-  
lum accrescere poterit. Inde, quando hoc metuitur, pacatum  
non solum evadit invalidum, sed et ex officio suo, quo ob-  
sticatus est reip. suae, obligatur, ut ab illo recedat. Etiam  
quae IOH. IAC. SCHMAVS in diss. I. N. n. VI. §. 3. ha-  
bet, pro sententia nostra militant. Quoniam autem Vir  
hic illustris non omnium vbiique sibi promeruit applausum,  
auctoritati eius nimium inhaerere nolumus. Et quoniam  
res ipsa, ut fatis probatum credimus, firmis nititur funda-  
mentis, ut de auctoritatibus anxie corradendis et cumu-  
landis solliciti simus, eo minus necessarium arbitramur.  
Hinc fatis habemus, in fine, praeter cel. CAR. PHIL. KOP-  
PIVM, adhuc mentionem fecisse IOH. CHR. CLAPROTHII,  
qui im *Grundris des Natur Rechtes* §. 208. Grotium et Pu-  
fendorfum sequens conditionem rebus sic stantibus in qui-  
busdam saltim casibus pacatis ineffe concedit, licet in §. 190  
fidem seruandam esse strenue defendat.

## §. XXVII.

Omnium optime rem nostram defendere aggressis est  
CAR. PHIL. KOPP in diss. inaug. sua de *clausula, rebus sic*

D

plan

XXVI DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

stantibus, secundum ius cum naturale, tum ciuale, Marburgi  
1759. habita vbi §. 19. C. 1. fundamentum huius clausulae  
in ipsa voluntatis humanae natura esse possum affirmat, ita  
tamen, vt simul ad causam finalem respiciendum esse cen-  
seat, quippe quae voluntatem ad se obligandum determinat  
§. 3. Stante illa stat quoque obligatio: at mutato negotii  
statu, ita, vt deficiat et cesseret omnis causa finalis, obligatio  
ex negotiis obligatorioris orta quoque cessat et tunc clausulae  
locus est §. 6 et §. 27. Et hinc clausulam §. 18 definit  
per conditionem, vi cuius obligatio ex negotiis obligatorioris  
orta, mutato eorum statu cesseret. Clauſulam vero negotiis  
obligatoriis tacite inefſe, inde §. 19. probat, quia funda-  
mentum eius in ipsa voluntatis humanae natura est possum,  
indeque concludit, quod quae per naturam voluntatis deter-  
minantur, ea ut verbis exprimas in negotio constituendo opus  
non est. Admittit clausulam per §. 21. in omnibus nego-  
tiis, praeter contractus, qui aleam continent. Ast ratio-  
nes, quas huius rei probandae ergo §. 5. sqq. allegavit,  
utrum sat ponderis habeant, discutiendum foret. Quo-  
niam et illa negotia, nisi egregie hallucinemur, mutationem  
admittunt, clausulae omnino locus est. Sic, ut rem  
unico exemplo illustremus, in retium iactu emto fieri pot-  
est, vt retia rumpantur, vbi nos quidem nulli dubitamus,  
quoniam emtoris obligatio ob interuenientem illam mutationem  
utique cesseret. Quod iustitia non repugnet clauſula, rite  
§. 24. inde probat, quia non auferit alteri ius quaeſitum, et  
simul impedit, quo minus plus a nobis postuletur, quam re-  
vera debemus. Concedimus quoque, quae §. 25. de ae-  
quitate monuit. In se spectata illi non contrariatur: respi-  
ciendum tamen, vt iam monitum, in illius vſu ad circum-  
stantias. Quod ad perfidiam non inuitet, quoniam illa vtens  
tale quid omitit, quod nunquam p̄raeflare debuit, §. 26  
in eo praeter SENECAM l. c. etiam ALB. GENTILEM de  
I. B. p. 702. et NIC. GVNDLINGIVM I. N. et G. c. 12  
§. 29. consentientes habet. Clauſula vt §. 32. docet, ad-  
mittenda quoque est in negotiis iurejurando confirmatis. Re-  
fri-

*stributiones enim et conditiones, quae per naturam voluntatis negotio insunt, accedente iurecivando non tolluntur.* Quod autem per §. 33. illi locus non sit, quando negotium consummatum fuerit, simpliciter verum vix est. Quod praeter alia in priuilegiis etiam locum habeat, §. 45. doceatur.

\* ) Quod hac obseruatione pariter ac illa, quae Kippingianam opinionem spectat, opusculum nostrum augere nobis licuerit, humanitati atque veritatem promouendi studio laude dignissimo Viri illustris GEORGII SEPTIMII DETERICHIS, Ratisbonenium Consulis longe meritissimi, Fautoris nostri omni honoris cultu prosequendi, acceptum ferendum est. Benignissime enim praeter Cocceii dissertationem supra laudatam et KIPPINGI et KOPPII opuscula allegata ex numero pariter ac incomparabili omnis generis dissertationum supellestile nobiscum communicauit.

## §. XXVIII.

Ex haec tenus disputatis quilibet harum rerum intelligens facile iudicabit, vtrum et in quantum officio nostro satisfecerimus. Si sententia nostra non omnium fert applaudsum (cui enim in tanta ingeniorum diuersitate eiusmodi spem alere licet?); venia saltim vel maxime ideo haud indigna erit, quoniam non omni ratione vacua in scenam prodit. Ventilanda omnino adhuc essent quaestiones quedam ad meliorem praesentis materiae illustrationem facientes: quoniam vero limites nobis praescripti impedient, quo minus telam hanc vberius texamus, breuitatis studio paucis modo, quae vnius alteriusue intuitu nostra sit sententia, monere licebit.

## D. 2

## §. XXIX.

XXVII DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

§. XXIX.

Primo quidem moueri potest quaestio, quale esse debet damnum, ob quod pacta dissoluere liceat? Ex Doctorum qui hanc quaestionem tetigerunt, sententia, ut mutatio rei, ita et damnum inde imminens non leue, nec fictum, sed verum, certum et denique nec praeuisum sed inopinatum ac fortuitum, adeste debent, si pacta ut inualida dissoluenda sunt: in quo nos quidem neutriquam repugnantes experientur. Dissentit tamen IMMAN. PROELEVS. im Beweis, dass die Paſta nicht des Interesse, sondern ihrer Natur und Eigenschaft wegen, müſten gehalten werden §. 50. qui tractatus subiunctus est eius libro: Grundzüge des Natur-Rechts etc. En expressa eius verba: „Ein unverhoſter Zufall (casus fortuitus) kann die Erfüllung des Versprechens, wenn es schlechterdings geschehen ist, nicht hinterreiben, weil ein kluger Mann nichts thun soll, da er sagen müſte, non putaram, das hätte ich nicht gedacht. Im menschlichen Leben, sonderlich in den öfters sich zutragenden Begebenheiten, kann ein kluger und geschickter Mann die gewöhnlichen casus, so ihn an der Ausführung seines Vorsatzes hindern können, leichte vorhersehen und bey den seltenen und ungegewöhnlichen Fällen darf man nur unter einer gewissen Bedingung, z. e. da sich nicht etwas sonderliches zuträgt u. d. g. sein Versprechen einrichten. Was aber ohne genugsame Vorsicht schlechterdings versprochen worden ist, muss ohne Ausnahme gleichsam zur Warnung inskünftige bedachtsamer zu handeln, schlechterdings gehalten werden.“ Haec ille. Primo circa hoc iudicium notandum, quod PROELEVS conventiones absolute puras gratis defendat, omnes, si non formaliter, virtualiter saltim, sunt conditionatae. Hinc nec absolute necessarium est, ut conditiones, quae tacite insint, expresse adiiciantur. Deinde praecepta ethica ac regulas prudentiae cum stricto iure diuino et humano pariter ac statum ciuilem cum naturali, eodem modo,

ac

ac ab aliis factum, in toto illo tractatu commisceret. Ad illud: non putaram: respondat SENECA, vbi: non est leuitas, „inquit, a cognito et damnato errore discedere, et ingenuo fatendum est, aliud putavi, deceptus sum. Haec vero superbae flustriae perseverantia est: quod semel dixi, qualecunque est, si xum ratumque sit. Non est turpe, cum re mutare consilium. - Subest tacita exceptio: si potero, si debebo. Si baec ita erant, effice, ut idem status sit, quum exigitur, qui fuit, quum promitterem. Destitutere leuitas non erit, si aliquid interuenit noui. Quid miraris, quum conditio promittentis mutata sit, mutatum esse consilium? Eadem mibi omnia praesta, et idem sum. „ Vid. L. IV. de benef. c. 38. sq. Quum haec, nisi egregie hallucinemur, ipsa naturae oracula sint; felix foret humanum genus, innumerisque iniustitiae et iniquitatis casibus via praecluderetur, si illa audire et sequi vellet.

## §. XXX.

Quoniam non Proleus, sed et alii ex supra allegatis aucto-ribus, de praeuidendis et praecaendis casibus loquuntur, quae-stio illa: quisnam pacientium ad inopinatos et fortuitos casus prae-videntos et cauendos obligatus sit? ventilanda est. Plerique, si non omnes, promittenti hanc obligationem iniungant. At enim vero; multum a vero in eo aberrare nobis videntur. Si nodum, vt fana ratio iubet, soluere, non vero more Ale-xandrinio secare, voluerimus; casus obuii a se inuicem di-stanti furentur. Quod si igitur apparet, utriusque contrahen-tis aequaliter interesse, vt pactum subsistat atque impleatur, vterque etiam ad caute agendum et cauendum aequaliter ob-ligatus erit, eoque ipso pessime agunt, qui solum promittenti inopinata praeuidendi officium simpliciter imponunt. Vtri-que potius hoc in casu negligentiae sua poena secundum iu-stitiae regulas pro parte ferenda foret. Si autem acceptan-tis potissimum interesse, patet, vt negotium validum ratum-que sit, id quod in multis sine dubio omni locum habet ca-sibus, quo quaeſo! iure promittens ad cauendum adigi poter-it? In negotiis, vbi acceptans nullum, promittens autem

omne

### XXX DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA

omne onus sentit, obligatio huius maior esse videtur. Interim tamen, quia negari nequit, quod in eiusmodi conventionibus acceptandis magis, quam promittentis, interfit, ut pactum saluum maneat, illius obligatio casus futuros prospiciendi hoc non obstante maior facie est. Si denique probari potest, quod promittens ex negotii initi praestatione aut omne, aut maius saltim, quam acceptans, percipiat commodum: iure meritoque etiam tenebitur, de possibili casu un fortitorum existentia praecipue sollicitum esse. Praeter hunc casum promittenti iuste conqueri licet, quod sibi soli praeter omne fas ac ius futuros prospiciendi euentus necessitas simpliciter imponatur.

#### §. XXXI.

Temporis intuitu quaeri solet, *vtrum ante promissi praestationem, ideoque re adhuc integra, an quoque post illam, vbi alterius aut vierque pacto iam satisfecit, dissolutio locum habeat?* Quoad priorem quaestionem conventionis dissolutio, si graues adsint rationes, facilius plerumque admittitur: ast, re non amplius integra, repugnantes experientis Doctores. Interim nos quidem plane persuasi sumus, casus et hic dari, vbi dissolutio admittenda, et actu quoque vere admittatur. Quis enim ignorat, matrimonia, quoties salus coniugum obtineri nequeat, dirimi, licet p vendorfivs loco supra citato repugnet. Quis quoef obligatus est in alterius fauorem per vitae dies infelicem se reddere? Qui hoc exigit, nos laedit. Quis porro dubitat, gentem exercitum suum, quem vicinae genti belligeranti dedit, quoties eo ad sui defensionem ipsa vtatur, iure domum reuocare? Idem fieri consuevit in priuilegiis concessis. Quoties enim appetet, cum reip. salute illa pugnare, non repugnante iustitia et aequitate reuocantur. Ut taceamus plures eiusmodi casus in vita humana non raro occurrentes.

#### §. XXXII.

In discussienda quaestione: *vtrum pacta ob imminentis et metuendum damnum simpliciter dissolvi queant, an a reug-*

uocante interesse quoddam praestandum sit? ad diuersitatem casuum nobis respiciendum et bene ponderandum videtur discrimen inter id, quod iuris et quod aequitatis sit. Hanc data occasione multa suadere et permittere, quae a iuris norma penitus utique abludunt, tralatitium est. Sub his circumstantiis, quemadmodum quilibet, quaenam nostra sit sententia etiam nobis tacentibus, facile intelliger: ita nulli veremur, ne quis eo iniquitatis procedat, vt perfidiae doctores nos salutet. *Perfidiae crimen illis attribui non potest*, inquit Cel. GVNDLINGIVS I. N. et G. c. 12. §. 29. qui extrema expectantes se tandem dedunt aut a foedere transiliunt. *Inest enim omnibus eiusmodi pactionibus tacita conditio, si id sine malo extremo meo fieri queat.* Licit hic de speciali pactione sermo tantum sit, ratio tamen vniuersalis adest, quam ad omnes applicare licet. Idem defendit ALBERT. GENTILIS de I. B. p. 752. verbis: *foedus non violatur, si ab eo disceditur per rationem iustam.* Sententiam Cel. KOPPII supra iam vidimus. Iung. R. ZUCHEVS Iur. et Iudic. fecial. Sect. V. n. 13. p. 232. et I. I. ZENTGRAV de Orig. Iur. Gent. art. IV. §. 18. p. 198.

§. XXXII.

Perfidiae accusandos non esse eos, qui ob iustas causas, et praesertim ob damnum grauius ex rei mutatione metuendum, a pactis discedunt; concedere quidem, hoc non obstante tamen obijcere, quis posset, sententiam nostram vel ideo saltim periculosam, eamque ob causam publice defendendam non esse, quia metuendum, ne malevolis hominibus fenestræ foresque apèriantur, his iuribus in detrimentum reip. omni data occasione abutendi, conuentionesque sine omni necessitate, fine veri damni metu, sub vano denique fictoque periculi praetextu, impune tollendi. At! licet nunquam, teste quotidiana experientia, carcinomata audacia desint, quae frena mordere, fidemque fallere religioni sibi adeo non ducant, vt in artibus fraudibusque, quibus alios circumueniant, ex cogitandis gloriam lucrumque ponant: res nostra tamen, his non obstantibus, salua est.

E

Quis

XXXII DE CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA ETC.

Quis enim iustos aequosque homines iuribus suis a summo numine concessis, ob metuendum maleorum abusum, absque iniuria priuabit? Tollendus potius est abusus, tuendusque iustus iurum illorum vsus! Quod quidem in foro naturali, vbi aequales rem secum habent, factu maxime difficile est: at, quum in statu ciuili Magistratus eiusmodi abusibus obicem ponere atque facile impeditre possint, quo minus malitia sine villa causa legitima, contra omne ius et fas, fidem fallat et in aliorum, quin imo ipsis reip. periculum, conuentiones rumpat: vt officio suo eo maiori cura, si iusti esse volunt, satisfaciant, salus publica iubet. Hinc quoque laudandi legislatores, qui per certas fauitresque leges eiusmodi perniciois incommodis mederi student. Sui officii immemoires e contrario monendi erunt serio, vt de reip. felicitate omnimode promouenda indefesso studio cogitent. Nobis autem, qui hominum iura defendere ausi sumus, vitio eo minus verti hoc poterit, quo clarius ex dictis patet, nos de euoluendis iustis rationibus, quibus sententiam nostram tueremur, suisse follitos, alios vero iam ante nos eandem telam texuisse, iisdemque iuribus defendendis operam nauasse. Ceterum optamus, vt homines, quamvis ob graves causas fidem fallere, non utique prohibeantur, iuris rigorem tamen non semper sequantur, sed aequitatis plenum illud: *quod tibi vis fieri, alteri feceris*: ante oculos etiam habeant, bene perpendicularentes: *summum ius summam non raro esse iniuriam*. Hinc coronidis loco optamus, vt quilibet bonus ciuis lubenti obseruet animo, quod ROBERTVS SHARROCK de Offic. secund. nat. ius C. III. qu. 10. habet: *sic nostra et promouenda et tuenda res, vt nemini fiat iniuria, vt nemini damnum inferamus, saltet quam maxime fieri potest!* Eueniat!

NO-



NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE  
**R E S P O N D E N T I**  
FAVTORI ATQVE AMICO SVO HONORATISSIMO  
S. D.  
P R A E S E S.

Quamvis querelae de nimia scriptorum, quibus publicum quotidie inundatur, copia, si vlo alio, nostro praeferim, aequo hand iniquae nec iniustae sint: tantum tamen abest, vt litterati de nimio scribendi pruritu minuendo solliciti forent, vt omni potius in id ferri videantur cogitatione, qui nonos subinde in lucem edant ingenii foetus. Placuit **TIBI**, Vir Praenobilissime, inter eos, qui sui memoriam eruditis monumentis posteritati tradere annuntiatur, nomen **T V M** profiteri. Vtrum bene, an male, feceris, non meum, sed aliorum, est definire. Hoc scio, rigidam censoriam virgulam aeque minus, ac quidquid malorum audacem auctorum familiam alias premere solet, confilio **T V E** te deterre valuisse. Audaces fortunam iuare, symboli loco **TIBI** esse videtur. Interim quidquid alii quoque senserint de conaminibus **T V S**, equidem illa laudanda potius, quam vituperanda crediderim. Non eo enim in scenam prodis animo, vt noua et nondum audit a eruditos doceas (opinionem adeo arrogantem quo minus foueas, modestia **TVA** prohibet!), sed vt, indefessae diligentiae **TVAE** specimen exhibens, virium **T V A R V M** periculum facias. Tentare scilicet ausus es, quid humeri valeant, quid ferre recusent, vt, si praefens lucubratio **TVA** non omni indigna fuerit habita applausu, meliores maturioresque fructus aliquando proferendi viam **TIBI** aperias. Hunc in finem problematicam quamdam discutiendam **TIBI** sumiſſi quaſtioneſ. An imiae confidentiae praeiudicio alienus primicias has **TVA**s mihi tradidisti, vt, vbi necessarium foret, lima vterer. Voluisti ſimul, vt **TG** cum illas publice defendam. Quum, ſicut omnium **HONORATISSIMORVM PRAECEPTORVM TVORVM**, ita

meum quoque, industria dexteritasque **TVA** pariter, ac placidi mores, sibi iamdudum, promeruerunt amorem; qui, quaeſo! ſieri potuifet, vt qualecunque auxilium meum **TIBI** denegarem! Grata potius agnosco mente fiduciam, quam in me poſuiti, qua- que ductus me potiſſimum comite in arenam deſcendere **TIBI** placuit. Et, quemadmodum eruditum hoc eximii ingenii doctri- naeque **TVAE** documentum ex ſincero animi affectu **TIBI** gra- tulator: ita certiſſimum **TE** eſte iubeo, me in proxima meditatio- num harum ventilatione publica partium **TVARVM** deſcenſionem, quantum per veritatem licuerit, **TECUM** ſucepturum fore. Quem laborem tamen tum demum, quum Praenobilissimorum antagoniſtarum **TVORVM** rigor forſan impediuerit, quo minus iporum peritia, doctriнаe dubiisque eruditis par eſſe valueris, ſubiturus ſum. Res **TVA** enim praecipue agitur! Quoniam peruaſum ha- beo, primos hos aūfus, ſi, de quo nullus dubito, fulicem ha- buerint ſuccesum, calcar **TIBI** nouum addituros eſſe: vt ad di- ligentiam, vltro etiam continuandam, multis **TE** admoſeant, ſu- perfluum duco. Optarem modo, vt ſummi numen ſaluum te atque incolumem ſemper benigniſſime praefiterit, quo ſtadium, quod ſub auſpiciis diuinis ingressus atque ex parte haud vulgari ſtudio emenſus iam eſt, eadem felicitate percurrere tuoque deſiderio ardentiſſimo aequa, ac laude digniſſimo, orbi literato pro virili inferuienti, ſatiſfacere queas. Oprarem non **TVI** tantum, ſed **TVORVM**, quin imo ipſius etiam **VBLICI** ergo, vt Deus T. O. M. iuſtiſſimiſ **TVIS** clementiſſime annuat votis. Ita enim abſque omni dubio fiet, vt, officia erga ecclſiam patriamque rite conſeruans, **CARISSIMORVM PARENTVM TVORVM** omniumque Bonorum amor pariter ac **ERUDITORVM** veri nominis ornementum euadas. Ut cunque ſors tulerit, mei ſaltim memor ſemper ut viuas, oro rogoque. Dabam 6. Mart.

MDCCLXX.

**ULB Halle**  
007 368 429

3



vD78





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



R. H. 21  
26 MEDITATIONES MORALES Pri. 12. num. 38:

# CONVENTIONIBVS OB CERTA AC VERA DAMNA INDE METVENDA INVALIDIS.

FAVENTE SVMMO NVMINE  
AVCTORITATE

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI  
CHRISTIANI FRIDERICI  
CAROLI ALEXANDRI

MARGGRAVII BRANDENBURGICI BORVSSIAE SILESIAEQVE  
DVCIS REL. BVRGGRAVII NORIMBERGENSIS VTRIVSQVE

PRINCIPATVS REL. REL.

P. 203/ IN ALMA FRIDERICO-ALEXANDRINA  
PUBLICO PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI VENTILANDAS

SVRMITTIT

P R A E S I D E

M. CHRISTIANO MASIO 1770, 2

PROF. PHIL. ET HIST. BRANDENB. EXTR.

AVCTOR ET RESPONDENS

JOANNES CAROLVS ALBERTVS FVRCKEL

UITTINGA-FRANCVS

PHIL. ET SS. LL. C.

D. MART. MDCCCLXX.

ER LANG AE  
LITTERIS WALTHERIANIS.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE